Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36550
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

purificatus consumetur. Ex his ergo duobus agnis unus quidem immolatur et datur pro delic-
to in loco inquit in quo iugulantur pro peccato, et ubi holocaustomata fiunt in loco
sancto. Ecce iam dignus efficitur ut offerat sacrificium qui potuit ad quintam purifi-
cationem pervenire, et hostia eius sancta sanctorum fit. Alius autem agnus holocaustum efficitur,
in quo et propitiari pro ipso sacerdos dicitur ut purgetur. Igitur primus agnus qui pro delicto est
videtur mihi virtutis ipsius formam tenere quam assumpsit is qui erat in peccatis per quam
potuit propellere a se affectum peccandi et malorum veterum plenitudinem ge-
rere. Secundus vero agnus figuram tenere illius iam recuperate virtutis per quam abiectis
et procul fugatis omnibus vitiis integrum se et ex integro obtulit deo, et dig-
nus extitit divinis altaribus. Ovis autem que post agnos assumitur quantum conice-
re in tam difficilibus locis valemus fecunditatem puto quod designet eius qui curatus
est a peccato et totum se obtulit deo, qui post omnia in bonorum operum fetibus vertitur et in no-
centie fructibus pollet. Trina ergo purificationis huius id est curationis a peccato ra-
tio dividetur: prima est hostia qua peccata solvuntur, secunda est qua anima convertitur ad dominum,
tercia est fecunditatis et fructuum quos in operibus pietatis is qui dicitur curatus ostendit.
Et quia tres sunt iste hostie, idcirco subiungit et tres mensuras decime
similaginis assumendas, ut ubique intelligamus purificationem fieri non posse
sine mysterio trinitatis. Vides autem quod hic in quinta purificatione non assumitur
farina, sed iam similam habet iste qui purificatur a peccatis. Simila ei ascribitur ut
habeat iam panem mundum, et hic oleo conspergitur. Sed et oleum eius ad duos usus di-
viditur: unum quo simila conspergitur, aliud quod sacerdos accipiat integra mensura
cyati. Ut autem in quo ut ego sentio et panis eius pinguis efficitur per misericordiam, et oleum
quod lux vera et scientie ignis accenditur per manus sacerdotis capiti eius im-
ponitur. Ita enim dicit: Et statuit inquit eum sacerdos et mundat eum in conspectu domini
ad hostium tabernaculi testimonii. Vides quia sacerdotis est statuere eum qui
convertitur a peccato ut stabilis esse possit et ultra non fluctuare nec moveri omni
vento doctrine. Statuit ergo eum non solum intra castra, sed et ad ipsum hostium
tabernaculi testimonii ante dominum, et post ea que secundum ea que supra dicta sunt offer-
untur hostie pro purificatione adhibet inquit et cyatum olei, et separat illud an-
te dominum. Et accipiet inquit sacerdos de sanguine et ponet super extremum
eius auricule dextrum, et super extremam manum eius dextram, et super extremum pe-
dem eius dextrum. Et post hec inquit accipiet sacerdos non ipsum cyatum olei, sed ex ipso
effundet inquit in manum suam sinistram, et tinget digitum suum sacerdos in oleo